

NOTITIA HISTORICO-LITTERARIA.

(FABRIC., *Biblioth. med. et inf. Lat.*, IV, 292.)

Philippus de Harveng, abbas secundus Bonæ Spei ordinis Præmonstratensis in Hannonia Cameracensis diœcesis, dictus ab Eleemosyna sive Eleemosynarius, cujus vita ex ejus epistolis et aliis lucubrationibus descripta exstat in Joannis Lepaige Biblioth. Præmonstratensi, pag. 508-513, clarus ab A. 1159, et qui inter alia epitaphium panxit Urbano III, defuncto A. 1187. Scripta ejus junctim edita a Nicolao Chamart (1) Bonæ Spei abbate, Duaci 1621, fol. Sunt autem: *Epistolæ XXI*, quarum decima objurgatoria ad S. Bernardum Clarævallensem. *Commentarius mysticus in Cantica Canticorum*, *Moralitates* in eadem Cantica, *De somnio Nabuchodonosoris*, *De salute primi hominis*, *De damnatione Salomonis*, *De institutione clericorum tractatus VI*: 1 de clericorum dignitate, 2 scientia, 3 justitia, 4 continentia, 5 obedientia, et 6 silentio.

Vita sancti Augustini, Hipponensis episcopi.

Vita sancti Amandi abbatis et episcopi Trajectensis et in Actis Sanctor., tom. I, Februar. 6, pag. 857-872.

Passio sanctorum Cyriaci et Julittæ.

Passio sancti Salvii martyris.

Vita sancti Foillani.

Vita sancti Glideni confessoris et abbatis. Confer Carolum Lecoq ad A. 651, tom. III, pag. 303 seq.

Vita sancti Landelini abbatis Crispinensis in Hannonia.

Vita sanctæ Odæ virginis et in Actis Sanctor., tom. II, Aprilis 20, pag. 773-780.

Vita sanctæ Waldetrudis virginis.

Passio sanctæ Agnetis virginis et martyris, carmine elegiaco.

Varia carmina, Epitaphia et Logogryphi. Ex epitaphiis illud in Ivonem habetur etiam in Actis Sanctor., t. V, Maii 29, p. 248. Cætera sunt in Anselmum Cantuar., Petrum Abælardum, Wilhelmum de Conchis, Bernardum Clarævall., Urbanum III, etc.

(1) His addenda *Epistola* qua A. 1159 Alexandro tertio gratulatur erecto ad papalem dignitatem; edita a Dacherio tom. II *Spicileg.*, pag. 453 (tom. III edit. novæ, pag. 527).